

DISSERTATIO IN AVGVRALIS
EXHIBENS
COGITATA QVAEDAM
DE
FEBRE BILIOSA

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO AUGUSTO

DUCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGA-
RIAET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THV-
RINGIAE REL.

CONSENTIENTE GRATIOSO MEDICO-
RVM ORDINE

PRO IVRIBVS DOCTORIS
MEDICINAE ET CHIRVRGIAE

RITE OBTINENDIS

A. D. XV. IVLII CCCCCCLXXXIV.

PVBLINE DEFENDET

AVCTOR

NICOLAVS HENRICVS BREHMER

LVBECENSIS.

H. S.

27.

IENAE,

TYPIS STRANGKMANNI.

00

M-5-27

1372 46001

§. I.

I N T R O D V C T I O.

Dotes praestantiores huiuscemodi libelli, quem jam publici juris facere jubeor, mihi semper videbantur materiae grauitas potius, quam nouitas, magisque studium lucidi ordinis et sermonis cultioris, quam nimiae sedulitatis aut plurimae lectionis vana ostentatio. Itaque nullo modo operam dedi eligendae materiae, cuius novitate haec scriptiuncula placere possit, sed e contrario pridem apud animum constitui materiam pertractare ut argumento grauem, ita maxime tritam, quoniam equidem difficilius esse censeo de quadam tripta et saepius agitata materia noua quaedam, saltem attentione non indigna tradere, quam de abscondita parumque agitata, et simul laudabilius existimo magis scribendi ratione, quam ipsa materia legentium gratiam aucupari.

A 2

Sed

Sed materiae istius, de qua hac occasione age-
re juuat, eligendae duplex mihi potissimum con-
suum fuit, vnum, vt publica quasi confessione de-
clarem, me maluisse in variam morborum indo-
lem et causas attendere, quam solo acquiescere
nomine, nec auctoris celeberrimi cujusque placita
vel paecepta seruili mente assumere, venerari et
imitari, alterum, vt majorem forte attentionem
in momenta quaedam apud nonnullos excitem,
quae in curando morbo vulgari et graui saepe ne-
gligantur, quamuis sine maximis incommodis ae-
groti, imo periculo, non negligi possint. Miretur
certe aliquis, me tironem medicum de morbo
adeo vulgari et scriptis maxime decantato aliquid
praecipere conari, praesertim post illustris RICH-
TERI studia, quibus, in obseruationibus medico-
chirurgicis, meliora de methodo huic febri meden-
di docere annis sit, sed mirari (puto) desinet, si,
cur hac de materia differere animum induxerim,
paucis profitear.

Simulatque, missa theologia, studium disciplinarum medicarum cupidissime amplexus eram, statim mihi proposui praecipue ad eos morbos at-
tendere, qui saepius quidem occurrunt, et in qui-
bus subigendis medicus, partes suas viriliter agens,
facile salutem ferre, negligens grauissima quaeque
mala excitare possit. Ad quemnam igitur morbum
potius respicere me oportuit ita sentientem, quam
ad febrem biliosam, cujus nomen et imperium tam
late

late patet, et quae, vel ab aegroto, vel a medico neglecta, saepissime solet mortem ab ipso morbo minus timendam arcessere. Quum ergo ipsius originem medelamque et lectione et meditatione rectius nosse niterer, mihi statim visum est, ea, quae stomachum et intestina bile nimia liberent, non semper sufficere ad vim hujus febris competendam, quod quidem, lectis iisdem observationibus, quarum iam mentionem feci, intellexi certius. Itaque quum sub initio hujus anni Erfordiam petiisse, ibique occasionem ampliorem nactus essem aegrotos visendi et curandi, apud animum constitui praecipue in hunc morbum paullo curatius inquirere, modo copia daretur. Quae cogitando speraueram, obtinere etiam licuit, quum aliquot habdomadas post febris biliosa hujus urbis incolas invaderet, cuius breuem historiam ex more scriptorum in fronte huius opusculi proponere non a re alienum esse videtur, ex qua simul facilius perspici poterit, quo iure quaque iniuria hanc materiam pertractandam susceperim.

§. 2.

HISTORIA FEBRIS BILIOSAE EPIDEMICAE.

Initio huius anni frigus grauius cum niue non multa coniunctum tempus hiemale adesse testabantur, quod in fine anni praeteriti vix sentiebatur, sed breui imbræ et venti vehementiores infecuti

sunt. Hoc quidem tempore morbi fere omnes speciem catarrhalium p^raefere cooperunt, in primis cum excretione alaina frequentiore coniuncti, rarius cum nimis copiosa bilis secretione, cuius tamen vestigia hinc et inde apparuerunt. Sub finem vero Ianuarii tempestatem humidam serenior exceptit, cum aura calidiore, per duas septimanas et quod excurrit, perdurans, quae simul febres biliosas attulit, primum mitiores et paucis remediis subigendas, mox saeuiores et rebelles. Plurimi homines hac febre simul et ex inopinato corripiebantur, ita, vt malum istud a captiuis Franco-Gallis profectum esse plurimi crederent, per hanc vrbem a militibus Borussicis Parthenopolin deductis, rectius repetendum ab insolita aeris temperie. quae per totum tempus hiemale viguerat, et a subita ipsius vicissitudine. Prae caeteris viri et foeminae validiores, vt plerumque fit, lecto affigebantur, adolescentuli pauciores, infantes fere nulli.

Symptomata quidem, quae hanc febrem comitabantur, eius generis erant, vt ipsius originem sciscitanti luculenter proderent. Tuffis initio ferior, in vigore morbi propter vires fractas sedator, iisdem sensim recuperatis, adeo increvit, vt miseros aegros dies noctesque cruciaret, efficacissimis remediis non, nisi in tempus breve cefura. Affectiones faecium vni alterive febricitanti, viribus adhuc fere integris, vix linguae vnum

con-

concedebant, narium vero et oculorum stillicidium aderat nullum. Praeterea tumor in pectore vel dorso non infrequens, late distentus, sed parum eleuatus dolorem vehementiorem excitabat. Signa vero ea, quibus in hac febre prava bilis secreto annuntiabantur, a vulgaribus haud discerni poterant, nisi simulata lenitate, vomituritionis absentia, pronitate ad aluinias excretiones et affectionibus capitis mitioribus. Quanta vero praecesserit irritatio, docuit symptomatum vulgarium atrocitas, infolitorum copia, contrariorum subita vicissitudo, quae quidem statim ab initio fere semper augurari jusserunt febrem a solito decursu deflexuram, nec a remedii solitum effectum sperandum. Sed forte magis, quam reliquae affectiones grauiores, in narrando huius morbi epidemici decursu, attentione digna esse videtur, quae in ipsius curatione instituenda nullam postulauerat, surditas scilicet, quae ad unum fere omnes statim primis diebus vexauit, eum in modum, ut maximus strepitus aegros sibi probe consciós, nec infirmiores, saluis caeterorum sensuum functionibus, plane non commoueret. Evidem vero non solus hanc surditatem epidemicam, superato malo sponte cessantem, obseruaui, sed a medicis pluribus sciscitando cognoui, eam maxime diuulgatam et communem fuisse. Sicuti vero febris repente accesserat, ita subito periculum adduxit. Citissime enim sensibilitatis nimis affectae vel humorum dissolutionis notae conspiciebantur,

et quos iam recte valere aut leui morbo laborare crederes, die sequenti subita virium prostratio in vitae discrimen praecipites egit.

Colluuiem hanc biliosam cito remouere, viribus sollicite parcere, et omni modo consulere, putredinis vim sedulo arcere, mihi potissimum curae fuit, quum natura et decursus morbi haec studia medico tunc potissimum iniungere viderentur. Remedia, quibus materiam biliosam mutari et disfolui putant, rarissime, nec, nisi pernecessaria videbantur, adhibita sunt, quoniam eorum usum in hac febre, ductus argumentis post recensendis, plerumque nihil utilitatis, saepe damna afferre existimo. In morbo leuiore, dum bilis nondum vomitum postulare videbatur, aut vespera imminebat, sale ammoniaco fortes mouere tentaui, si aluus nimis liquida timenda erat, si vero obstructa, salis mirabilis dosi refracta usus sum. Vomitoria e contrario, dum signa bilis sursum tendentis nondum disparuerant, illico propinanda institui, quoniam propter subito accedentem virium prostrationem, canalis nutritii inertiam et pronitatem ad alvinas excretiones, momentum cunctando perdere nefas censui. Sed in ipso huius generis remediorum delectu cautio quaedam erat adhibenda. A tartari emeticu usu per totum id tempus plane abstinui, quia catarrhales affectiones tubi intestinalis praegressae ipsius laxitatem incredibilem excitauerant, et quoniam aegrotum quendam, cui

con-

consulto, morbo emeticum maxime iubente, por-
rigebatur, non vomitu concitato, sed alio mota,
fere vita et quatuor infantes parulos patre priva-
set, ab alio vero rheumatismo inueterato laboran-
te magna dosi haustus eodem modo effectu destitu-
tus est. Radix quidem ipecacuanhae certius mate-
riam ventriculi superne mouit, plerumque cum
vnico grano tartari emetici coniuncta, tamen et
sine hoc pernicioso euentu deiectiones auxit, nec
cum oxymelle squillitico commixta plane innoxiam
se praebuit. Hunc vero funestum emeticorum ef-
fectum omni modo euitare studui, idonea dosi, po-
tus apta quantitate et qualitate, praesertim vero
lenibus quibusue stimulis, qui stomachi torpo-
rem et inertiam aut minuere, aut demere possent.
Aluum citare, dum natura iniunxerat, remediis iis
tentaui, quae intestina non relaxarent, et corru-
ptionem putridam anteuerterent, at modice et
paullatim plerumque, vt omni ratione viribus par-
cerem, nonnunquam vero sponte nimis motam,
cum insigni virium diminutione, cohibere coactus
fui. Interea largo potu frigidae cum aceti vini
vel spiritus vitrioli larga quantitate commixto pu-
tredini bilioſae colluuiei breui timendae resistere
connisus sum. Nec neglecta sunt remedia ea, qui-
bus vis corporis humani vitalis aut firmatur, aut
excitatur, sed pro re nata diligenter exhibita,
quamuis hic non pluribus commemoranda, quum
modo partes secundas inter medicamina sustinent,

quae assultibus febris biliosae opponuntur. Venae-
fectionem equidem modo semel hoc tempore in-
stitui, ductus manifestis inflammationis signis, in
viro sanguine abundante et ad hujus diminutionem
astuefacto, sed parcam et sine detrimento infe-
quentе, in alio instituta, medico nullo iubente, fe-
brem putridam progenuit periculosorem, in mu-
liere, omnibus remediis plane irritis, mortem ac-
celerauit. Quod ad singula symptomata attinet, in
variis hominibus varia, et ad remedia istis oppo-
rita, de his pluribus differere meum non erit.

Concifam huius febris epidemicae historiam in
conciso libello ideo potissimum propofui, vt legen-
tibus innotesceret, me obferuatione et meditatio-
ne propria, non e centenis libris ea collegisse,
quae de febre biliosa scripturus sim. Plurima,
quae mihi apud aegrotorum lectos in mentem ve-
nerunt, plane cum iis conspirare noui, quae in
aliorum scriptis occurrant, multa, judicibus sag-
acioribus, vt in posterum mihi ipsi, dubia aut pro-
fus irrita videri, pauca nihilominus superesse con-
fidere mihi liceat, quae ad rectam huic febri me-
dendi rationem aliquid faciant, quamvis leuiora
sint vel videantur.

SECTIO

SECTIO I.

DE NOTIONE ET VARIIS SPECIEBVS FEBRIS BILIOSAE.

§. 3.

DE NOTIONE FEBRIS BILIOSAE.

Febris biliosae notionem me exhibere velle non paucis mirum videbitur, quum nulla alia nostra aetate saepius occurrere soleat, et quum symptomata hujus morbi plerumque adeo manifesta sint, ut et ab homine artis medicae imperito congruo vel recepto nomine insigniri queant. At tamen si quis meminerit, apud auctores idem hoc nomen non eandem rem semper designare, et febrem haud raro biliosam a medicis haberi vel dici, sine dubio inter morbos alias indolis referendam, non repugnabit, hoc modo et ambiguitatem in dicendo, et errores in curando morbo me vitare velle. Neutquam vero morbum ita definire cupio, vt omnes regulae stricte seruentur, quae in philosophorum scholis tradi solent, Definitio-

nem

nem enim morborum veram et genuinam haud formari posse, vel certe parum prodesse censeo. Nam quae philosophus, subtilis verborum interpres et judex, forte desideraret aut reprehenderet in formanda morbi notione, medicus jure suo negligit, qui modo tot notas erui et afferri cupit, quot sufficient ad morbum quandam a simillimo quoque aut ipsius naturam simulante discernendum, ne, quem studeat seruare, perdat. Nec quoniam notionem jam proferendam iis, quae a scriptoribus traduntur, praestantiores judicaui, hoc in libello exhibere volui, sed in primis cogitata quaedam, quae huc spectent, aptius exponi posse videbantur, atque simul majori attentione errores quosdam exquirere studui, quos in febris biliosae notione constituenda auctores nomine et meritis insignes commisso cernimus, qui dum in morbi curatione instituenda non satis euitantur, grauissima mala procreasse constat.

Febrem vero biliosam eam voco, cuius symptoma grauissimum est praeternaturalis bilis conditio vel organorum bilosorum, inflammatione eorum nulla conspicua.

Primum huic notioni nihil de causa febris ad jungere, et hac in re a more fere omnium scriptorum fecedere volui, quoniam modo ea, quae sensuum ope cognoscuntur, visa et obseruata, ad diagnosis morborum rite formandam aliquid faciunt. In symptomatibus recensendis tantum subsistere licet,

nec

nec disquisitio de quadam causa probabili, nec alia luxuriantis ingenii additamenta notionem morborum ingredi debent. Si quis ista non curat, non modo obseruatoris fide digni partes negligit, sed et leges violat ex philosophorum praeceptis et medicorum summorum exemplis stabilitas. Nec minus ipsi arti sanandi damnum infertur, si idea de causa morbi in ipsius notione symptomatibus annectitur. Neminem enim fugit, sententiam de morborum causis saepe falsam fuisse, vel pro vario tempore et ratiocinandi modo variam, quare factum sine dubio est, ut notio morborum frequenter fuerit a recentioribus mutata, plurimorumque a veteribus descriptorum natura dubia sit, paucumque cognita, cuius rei disquisitio et disceptatio de atra bile exemplum triste praebet. Sed quid opus est ad ista tempora recurrere a nostris adeo remota, vel plurimos morbos colligere ad varium de morborum caussis judicium probandum? Persistamus in febre eadem, de qua sermo nobis est, et recordemur, summam adhuc litem agi aetate nostra de caussa ipsius, ut quam maxime dubitari possit, in quamnam sententiam abeundum sit. Et enim nemo ignorat, bilem, quam plurimi febris hujus caussam vocant, aliis ipsius effectum potius videri, et argumenta, quibus utraque pars sententiam suam confirmare nitatur, magni esse pondoris. Quae, quamuis sola sufficient ad notionem de caussa febris biliosae remouendam, dum de hu-
jus

— — —
jus notione agatur, tamen non e re erit simul in memoriam reuocare, tam audaci de morbi cuiuslibet caussa judicio, quod firmissimis fundamentis superstructum videri debeat, quum ad ipsam diagnosis morbi referatur, medicos facile ita consopiri, ut non amplius de ea disquirant, et forte meliora prodant.

Vitium aliud maioris momenti, proposita hac febris biliosae notione, castigare volui, quod autores non pauci neglexerunt, aut certe non pro rei dignitate satis bene tractarunt, quod non solum medicus imprudens vel tiro, sed nonnunquam veteranus et sapiens committit. Quo commisso, miseri aegroti saepenumero vel per longum temporis spatium lectulis affiguntur, alias breui restaurandi, vel adeo neci traduntur. Quod quidem vitium saepius committitur, licet euitari possit, exploratione, medici summo artificio atque praesidio, temere neglecta, dum, bilis signis quibusdam vix conspicuis, imprudens quisque se hostem iam deprehendisse clamat, nec ideo morbum ipsum curat, sed tantum affectionem organi maxime irritabilis cum eodem fortuito connexam. In principio enim morborum, praecipue catarrhalium, conspicuntur saepe symptomata, quae nimis largam bilis secretionem testantur, sed leuiora et subobscura, appetentia nulla ciborum, sapor amarus, lingua mucico subflauo et tenuiori obducta, fensus quidam ingratus in scrofuliculo cordis, alius nimis laxa, capit

pitis dolor haud exiguus, quae quidem simulatque medicus incantus conspexit, biliosam farraginem resoluentibus remediis a lateribus ventriculi diuelere festinat, diuulsamque et satis dilutam per os aut aluum emittere, sed irrito studio in dies auget. Negari certe non potest, male intellectam doctrinam de febribus gastricis laruatis saepe mortalibus funestam fuisse, quippe quae plurimos morbos, gastricam naturam simulantes, hanc formam vere induere coegerit, et prauae diagnosi prauam medendi rationem superstruxit. Itaque a vitio adeo vulgari et perniciose non solum in posterum medicam artem exerciturus sibi cavere, sed et ipsa febris biliosae notione idem iam indicari oportere, et quodammodo facilius arceri posse videtur, quare in modo proposita adiunxi, prauam bilis conditionem *grauiissimum* symptomata febris esse oportere, quae biliosa nominanda sit. Nullo modo me fugit, iudicium de symptomatis cuiusdam grauitate incertum esse et varium, si vel ipsius, vel medici ratio habetur, attamen omnes ii, qui naturam morbi sedulo quaestionibus indagare, et therapiae generalis firmissimis praceptis inhaerere student, hac de re iudicium laturi plerumque consentient, nec certi limites, quos ultra et citra non diuagandum sit, praefigi queunt.

Rarius isto vitio, sed non leuius aliud habendum est, scilicet permutatio symptomatum, quae jecinoris inflammationem insequuntur, aut secretionem.

tionem vberiorem alia causa profectam , quae licet
tristis sit, imo letalis, hoc loco non pluribus illu-
stranda erit, sufficietque mentionem ejus fecisse,
quum plures de ea egerint auctores arte p̄aestan-
tes, et morbus alter rarius occurrat.

Sed vt auctores inflammationem hepatis non-
nunquam subesse docent, dum bilis nimia in ven-
triculum effunditur, ita mirandum est, fere omnes,
si vera irritatio biliosa in corpore latet, modo in
bilem attentos esse , quae in tubo alimentari conti-
neatur, nec ad fontem ipsum respicere, unde di-
manuuerit, nec ad riuum , cui bilis nimia copia
profusa immittitur. Maxime vero necessariam esse
hanc distinctionem variae conditionis irritationis
biliosae, natura ipsa non dubie indicare videtur,
quam scriptores quidam secuti usitatissimam hac
de re opinionem confutare et emendare conati
sunt, et in hoc quoque libello, argumentis allatis,
pluribus explicabitur.

Vt vero isti scopuli facilius evitentur, in
quos facilime incautus quisque medicus illidit, et
quidem nunquam impune, iam in notione hujus febris
quaedam omittenda , addenda vel mutanda erunt,
qnae sine ratione prolata, vel neglecta, vel minus
accurate definita sunt. Sed, vti jam antea monui,
equidem nullo modo omne punctum tulisse mihi
persuadeo, si quidem probe noui, morborum limi-
tes adeo inter se conjungi, vt scriptis cuique pro-
prios adsignare medicus non possit, nec, cum ni-
mia

mia ratiocinandi subtilitate commodum nullum sere
in eorum curationem redundet, hosce nodulos,
qui perperam extricantur, dissoluere velit. Etiam-
si ergo forte affectiones dysentericae vel icteritiae
occurrant, cum febrilibus conjunctae, in quas
fere omnia quadrare videantur, quae ad febris bi-
liosae notionem retuli, idcirco non ab aequo quo-
piam judice damnabor. Sed quicquid sit, praestat
saltem in notione morbi formanda, quam in cura-
tione ipsius errasse.

§. 4.

VARIAE FEBRIS BILIOSAE FORMAE ET SPECIES.

A quolibet medico, non ingenio, artis amore
et pietate destituto, requiritur sine dubio, ut natu-
ram morborum magis magisque indagare nitatur,
et perpetuo dispiciat, num methodo praestantiore
curationem possit absolvere. Quum vero melior
ratio morbo cuidam medendi plerumque non insti-
tui queat, nisi ipsius indolem variasque formas re-
ctius perspexeris, medici praeclariores omnis aeui
in hac disquisitione potius studium suum operamque
collocarunt, quam in nouis aut mirabilibus adeo
medicamentis excogitandis. Quod quidem studi **m**
alius alio modo amplexus et persecutus est, sed
maxima pars eorum id potissimum egit, vt, prae-
gressa obseruatione follertiore, similes, nec tamen

B

iisdem

iisdem remedij curandos morbos probe discerne-
ret, et noua eorum genera nouasque species con-
deret. Quamuis magnopere dolendum sit, hoc
modo plurimas morborum species luxuriante inge-
nio, non natura duce, formatas et effectas esse,
vel ita a se inuicem distinctas, vt commodum
aut nullum, aut peregrinum ex tali distinctione
nasceretur, vel temere adeo auctas, vt sine fine
crescere putares, tamen nihilominus ex eadem rite
formata maxima commoda in artem medendi re-
dundarunt. Nam huic studio morborum varias
formas probe discernendi hoc certe tribuendum
est, vt morbi plurimi iam facilius dignosci, re-
ctius obseruari, citius et melius repelli possint.
Quanta vero utilitas ex laudabili diuisione varia-
rum formarum, sub quibus morbi compareant,
oriatur, ex historia methodi febribus intermittentibus
medendi quam luculentissime patet. Etenim,
dum olim in ipsius decursu animum conuertebant,
et modo dies notabant, quibus vim suam exferere
soleret, nulla ratione diversae ipsarum naturae
habita, eas in annum durare haud mirabantur, aut
ita violenter infringebant, vt mala longe graviora
inde nascerentur. Postquam vero medici in ista-
rum differentiam, ab ipsa natura quasi constitutam,
curatius inquirere, et hanc optimam ducem ac
magistrum fecuti varias species condere cooperunt,
durationem simul et atrocitatem valde diminue-
runt. Sed quid opus est late disquirere ad sum-
mam

mam utilitatem probandam, quae probabili ex divisione morborum in complures species promanat? Optimum exemplum ipsa febris biliosa exhibet, quae, dum a pituitosa nondum distinguēbatur, medicos non potuit non in tristes errores immergere, vt has natura dissimillimas febres eodem prorsus modo iisdemque remediis coercere niterentur.

Febris biliosae species a nullo auctore distinctas esse memini, quem alii tanquam ducem, sequi sint, nec ratio adesse videtur, quae talem distinctionem postuleat. Nam si methodum consideramus, qua haec febris curari solet, perfectam haberet quilibet, qui secum reputaret, caussam febris non follicite eruendam esse, sed potius in aprico positam, malumque non miro corporis humani fabricae artificio sensim remoueri, sed a medico plerumque exterminari, naturam fere semper haud obscure indicare, quando artis auxilio indigat, remedia, quibus naturae opem feramus, esse pauca, simplicia et notissima, eorumque effectum sensibus obiectum facilē perspici posse et dirigi. Quae quidem si quis in mentem revocat, et simul recordatur, hanc febrem mortales adeo frequenter inuadere, vt nullus fere alias morbus hominum genus saepius infestet, medicosque et ingenio et fama insignes malo tam vulgari et perniciose rectius mederi et exemplo, et scriptis nos docuisse, profecto non mutabit sententiam. Sed non moleste ferant lectores velim, me ex ipsa

medendi ratione, ex ipsa morbi natura aliter sentire conari, et ex parte etiam auctoritate hanc tententiam tueri licebit.

Bilem in ventriculo et intestinis contentam, nimia ipsius secrezione praegressa, hoc vel alio modo auferre vnicum videtur esse studium in febre biliosa subigenda medico injunctum, sed forte magis doctorum auctoritate, quam natura duce. quae quidem aperte declarat, tale conamen saepe non esse sufficiens, nec raro plane irritum, imo nocitulum. Cuilibet enim medico, cui contigit, licet in paucis hominibus, effectum obseruare, hujus generis remedia in febre biliosa infecatum, haud latere potest, remedia, quibus intestina purgantur, biliosam colluuiem saepe non auferre, sed paululum minuere, alias vero, quasi e fonte nunquam arescente, denuo elicere, nonnunquam vero vires adeo infringere, ut periculum sumnum inde metuendum sit. Nonne ergo operae pretium esset accuratius definire, quando et quatenus ista remedia locum habeant, et quando cum aliis coniungenda vel permutanda sint?

Nec minus disquisitio de natura morbi mihi fauere videtur, cuius caussa proxima, hepatis irritatio antecedens et inde aucta bilis secretio haud quaquam negligi possunt. Quae quidem irritatio et secretio, si perdurat adhuc, si vehementissima fuit, si hepatis irritabilitas ad summum gradum evecta est, nonne attentionem quandam haec momenta

menta requirunt, nonne medendi rationem vulga-
rem mutandam esse iubent? In aliis morbis, in
quibus irritatio organi cuiusdam secretorii maior
adesse solet, licet aegrotus valetudinem pristinam
breui recuperet, et rarissime in vitae discrimen
adducatur, irritationem maxime considerandam es-
se medici omnes uno quasi ore confitentur, hepatis
vero, organi secretorii maximi irritationem, febris
vehementioris somitem et mortis caussam frequen-
tem, nulla attentione dignam haberemus? Idem
iudicandum erit de ea biliosae colluviae parte, quae
ab innumeris vasculis sorbentibus recepta sanguini
immiscetur, et, sedato intestinali tumultu, fe-
brem sola nutrit. Praeterea cum ipsa bilis condi-
tio non semper vna sit eademque, cum humor iste
maxime mutabilis modo vappidior, modo acrior,
modo spissior, modo tenuior cernatur, et turbae
inde ortae magnopere variare debeant, potest ne me-
dendi ratio semper eodem modo institui, damno
non insequente?

Sed ne forte multis videar nimio nouitatis stu-
dio deditus, dum morbi adeo vulgaris nouas spe-
cies statuere audeo, et methodum eundem fra-
nandi visitatissimam vituperare paullo audentius,
licebit et ad auctoritatem aliorum confugere ad
prolatam sententiam praecclare confirmandam, quam-
quam maiorem fiduciam in argumentorum verita-
te collocem. In libro *de irritabilitate* elegantissi-

mo *), cuius auctor in fronte plurimam promulgatarum sententiarum copiam viro Excell. REILIO se debere profitetur, non pruca inueni, quae sententiam meam confirmarent. Seuerius ille vir, facile inter praestantissimos aetatis nostrae medicos referendus, in solitam febri biliosa medendi rationem animaduertit, simulque singulos casus enumera probe discernendos, et quibusvis remedia aptiora designat, qui quam proxime ad eos accedunt, quos, tanquam species febris biliosa, mox proponere in animo est, quamquam auctor ille potissimum de ea febre egit, quaë gastrica vocari solet, nec equidem illo antesignano usus sum, sed potius obseruatione propria, licet arctis limitibus circumscripta, ad eandem fere sententiam perductus, in quam cito abire iubent et meditatio, et experientia. Non modo acquieuit in castigatione doctrinae de febre biliosa alius auctor notissimus **), sed etiam nouas ipsius species constituit, at forte distinctione nimis subtili, et medico in excercenda arte parum profutura.

Itaque ne in eundem errorem illabar, a quo non satis sibi cauit auctor iste, duo potissimum mon-

*) *L. L. Gautier* Diff. de irritabilitatis notione, natura et morbis. Halae 1793.

**) *A. G. Richter* medicinische und chirurgische Bemerkungen, 1r Band. Göttingen 1793.

***) *Wedelind* Bemerkungen über die Gallensieber, V. seine vermischtte Schriften.

menta nullo modo negligere natus sum, quae inter omnia huc referenda principalem locum videntur occupare. Primum modo eas febris biliosae formas distinguere et in species dispescere tentavi, quas circumspectus medicus in morbi curatione instituenda nec negligere omnino, nec easdem existimare possit, quippe quae curationis consilium saeppe non parum immutent, aut plane nouam postulent, aut in singulorum remediorum delectu maxi-mi facienda sint. Deinde hasce formas non pro lubitu fingendas et excogitandas esse ratus sum, sed quas natura ipsa et obseruatio varias esse videntur indicare, modo distingui oportere. Ista quidem leges, quamuis non impune violari queant, quum difficillimum sit eas stricte seruare, lectores benevoli et arbitri non inique ferant precor, si menta quaedam offenderint minus accurate explicata, quoniam mihi neutquam in mentem venit, fundamentis doctrinae de febre biliosa audacter dirutis, noua condere. Si quis ergo unam recensitarum specierum non admittat, aliam vero addendam putet, vel febris stadia formas quasdam vocare suadeat, quas inter specierum numerum retuli, per me licebit. Attamen nescio, num alio modo incautus medicus facilius et seuerius doceatur, solitam medendi rationem saeppe parum aptam esse, eiusdemque abusum homicidii caussam frequentem fieri. Quod si forsan quibusdam aliter videbitur, cogitent, quaeso, me existimasse, hoc ordine optime

me obseruationes et sententias quasdam in medium proferri posse, quae, vti spero, non omnes damnabuntur a iudice feueriori, sed naturae coniuncto, artis perito.

§. 5.

DE FEBRE BILIOSA GASTRICA.

Istud quidem nomen febri tribuerem biliosae, cuius grauissimum symptoma irritatio, a bile in stomacho et intestinis latente profecta, habenda est. Speciem hanc primo loco ponendam esse duxi, quamuis, si ad reliquas respicimus, natura in febris decursu ordinem alium seruet, quoniam haec species hucusque a plurimis, tanquam vnica, considerata fuit et tractata, et quoniam medendi ratio, quae huic speciei conuenit, in plerasque videtur quadrare. Bilem vero, non deprauatam, in canali iutestinorum afferuatam, nimia copia corporis quam maxime irritare posse, et febris aut causan, aut somitem esse, non multis probandum erit, siquidem in ea eliminanda medici plurimi omnium studium collocant. Summum scilicet et mirabilem nexum esse inter ventriculum et sistema nervosum, ipsa corporis structura et experientia tatis superque testantur. Consideremus modo locum, quem ventriculus occupat, a quo paullulum tantum distat plexus ille nervosus, qui semilunaris ab anatomicis vocari solet, intueamur grauissimam functionem huic designatam. Praeterea in quibusli-

bet

hēt fere corporis et neruorum affectionibus pravis
fere semp̄ ventriculum simul affici constat, et
contrario ipsius functione modo parum difficiliore
vel turbata, totum corpus grauiter commoueri, in-
primis vero caput aut organa vicina vel nobiliora
laesa turbas ipsius vehementiores excitare. For-
tasse grauius argumentum exhibet effectus, qui
irritamenta reliqua tubi intestinali insequi so-
let, inter quae vermes nominare sufficit, quos
motuum vehementissimorum et febris caussam haud
dubiam esse neminem fugit. Nonnunquam etiam
ipsa bilis in totum corpus et sistema neruosum ef-
fectum exserit vix credibilem, et maniam ferocissi-
mam concitasse traditur, cuius rei memorandum
exemplum auctor fide dignissimus refert *).

Sicuti vero plurimi, his vel aliis argumentis
ducti, mecum consentient, febrem biliosam ex-
copia bilis intestinalis oriri posse vel nutrirī, ita
sine dubio reprehendent, me nomen vulgo qui-
dem generi morborum designatum, quibus febris
biliosa annumerari solet, singulae ipsius formae ad-
scribere. Sed, quod pace eorum fiat, non dubi-
taui nomen generi morborum male inditum ad feb-
rem iterum referre, cui magis competit. In fe-
bre enim biliosa non tantum rationem habendam
esse bilis in intestinalium canali conspicuae, sed fae-
pe etiam irritationis hepatica et particularum bi-

B. §.

lio.

*) *Finke de morbis biliosis anomalis, Monast. 1780.*

bilosarum, quae humoribus admixtae sint, iam ante monitum est, et postea magis explicabitur.

Grauior vero, quam de nomine, disquisitio de signis erit, quibus haec febris biliosae species a reliquis, quibuscum permutari possit, distingui queat. Hoc quidem loco ingenue profitendum est, id, quod etiam de diagnosi cuiusuis alias febris biliosae speciei valet, signa nec multa, nec satis vera iam a me enumerari posse, quum vnius hominis, vel sapientissimi experientia huic operi perficiendo non par sit, etiamsi HIPPOCRATEM observandi facultate superet, et annorum serie NESTOREM. Sed licet non temere sperare, si specierum febris biliosae distinctio medicis utilior aut magis necessaria visa fuerit, huic signorum inopiae breui succurri posse, dum viri complures, et ingenio, et eruditione venerandi, in tali negotio versari non recusabunt. Attamen, quod mihi videtur vnicum, saltem potissimum momentum in diagnosi huius speciei proferam, scilicet *fordes biliosas vere turgre*. Postquam febrile frigus per aliquod temporis spatium corpus concussit, et calor mox enatus cum siti immodica cruciavit, bilis copiosa cum impetu in tractum intestinorum et ventriculum regurgitat, inquietudo, anxietas et dolor increscit, bilis fauces vexat et vrit, et vomitum ciere minatur. Illo conamine, vt plurimum irrito, aut sine symptomatum mitigatione peracto, impetus iste et fero plerumque paullatim sedantur, nec tamen penitus

cua-

euanescunt, sed post aliquod tempus iterum animari velutique refocillari videntur, sed non eum in modum saeuire, quam antea. Hunc si solitum febris vehementioris decursum spectamus, duplum turgescientiam bilis non inepite statuere licebit, unam symptomaticam, irritationem organorum biliosorum et fel in intestina regurgitans infeceturam, alteram idiopathicam, quam ex conamine salutari naturae materiam noxiam ex ventriculo protrudendi originem ducere iure meritoque medici arbitrantur. Illam vehementiorem augere, et ad vomitum stomachum impellere nefas esset, quamvis, si irritatio minoris momenti subest, saepe sine dampno insequente fieri possit, sed potius nifum inutiliter mitigare et cohibere medici prudentis est, dum ex contrario hanc promouere nititur. Nonnunquam auctores vehementissimi cuiusdam nifus ad vomendum, sed iritti mentionem faciunt, quem neutram augendum, sed omni studio imminuendum atque demulcendum esse rectissime monent. Tunc plerumque hanc turgescientiam bilis symptomaticam adfuisse suspicor, licet negare nolim, in corpore sensibilius, a nimis acri bile in ventriculo inclusa, huiusque visceris summa irritabilitate istos nimios tumultus oriri potuisse. Sed iam iterum quaestio incidit, quomodo turgescientia fellis symptomatica ab idiopathica probe discerni possit, quum maximi momenti esse debeat, ut in hoc discrimine faciendo errores quoscunque vites. Discrimen vtrius.

vtriusque vomituritionis potissimum a temporis spa-
tio et symptomatum decursu petendum erit, si qui-
dem illa in febris initio, haec fere aliquod tempus
post, irritatione nulla praegressa, altera plerum-
que post praeuiam quandam irritationem, mox quo-
dam modo imminutam solet occurrere. Sed quoniam
bilis, dum in ventriculum ex organis biliosis pro-
funditur, haud raro motus vix sensibiles ciet, fae-
pe difficillimum erit diiudicare, num vomiturito
pendeat a proprio ventriculi stimulo, an partum
vicinarum, in primis jecinoris, quamuis medicus
ingenio non hebeti praeditus et experientia doctus
rarius, si vñquam, errare videatur.

Quemadmodum igitur non quaeque vomitu-
ritio salutari naturae nisi potest attribui, ita, ma-
teria prava ad aluum vergente, dispiciendum praे-
ceteris erit, num alia quaedam causa in corpore
lateat, e.g. affectio catarrhalis, an nimia sensibi-
litas intestinalium vel laxitas adsit, cui potius effe-
ctus iste adscribatur, quam ipsi bili et naturae ipsius
conatus.

Neque vero vñquaque febris biliosa medicum
potissimum in irritationem intestinalem attendere
jubet. Quamdiu enim nulla vestigia bilis sursum
vel deorsum vergentis apparent, equidem vix
ac ne vix quidem febrem ab isto stimulo solo
pendere mihi persuadeo, argumentis fretus post
explicandis, dum de febre biliosa larvata sermo-
faciendus erit.

Ne-

Neque hoc loco discrimen plane silentio praeterire libet, quod, ex mea quidem sententia, interest inter eam turgescientiam, quae a bile recens secreta proficiuntur, aut a coagulo bilis per longum tempus in stomacho latitante. Illa enim vehementior esse videtur, haec mitior atque languidior, et ad eos motus proprius accedere, qui a puitiae mobilioris factae copia excitantur. Haec vero non valent ad veritatem hujus sententiae vel plane probandam, vel negandam, hinc eam, tanquam dubiam, adhuc in medio relinquendam censem, quanquam natura aliquoties visa est huic discriminationi non abnuisse.

Quod ad curationem hujus speciei febris biliosa attinet, hoc loco non pluribus verbis opus est, quum medendi ratio plane eadem esse debeat, quam medici fere quotidie adhibent, tanquam unicam, hinc saepenumero male. Sed de hoc in altera libelli parte.

§. 6.

DE FEBRE BILIOSA HEPATICA.

Aliam speciem febris biliosa constituere videatur, cuius gravissimum symptoma est irritatio organorum biliosorum, quam liceat vocabulo nondum visitato, sed, ut mihi quidem videtur, non incongruo et maxime conciso, *hepaticam* nominare. Evidem saepe miratus sum, in libris praeclarissimorum auctorum fere omnium, qui hac de febre com-

commentarios reliquerunt, nihil aut parum de hoc irritationis genere inueniri, licet istud non solum medico, subtili disquisitione de morborum natura occupato, sed etiam artem exercenti, curae esse posse, imo debeat. Unde derivanda sit bilis in ictero totum corpus penetrans et tingens, num ex hepate, an e vesicula fellea, quique fere scriptores plurimis verbis disquisierunt, studio non vituperando, sed tamen inutili, ad hunc vero biliofae colluviae fontem, a cuius conditione materiae profusae quantitas et qualitas pendet, animadvertere noluerunt. Non juvat ea repetere, quae antea de vomituritionis conatibus dicta sunt, qui saepe ex irritatione hepatis, non ventriculi oriuntur, id tantum iure meo urgere liceat, quod, quamdui hepatis irritationis perdurat, ventriculus biliofa sentina minime purgari queat. Saepe mirantur medici, qui omni opera intestinales fortes penitus eluere nituntur, se omnem operam perdere, et post quodvis emeticum vel alii stimulum, ferme majorem bilis copiam prorumpere, quam prius conspexerant. Attamen si conditionem hepatis magis explorare animalm induxissent, et caussam ipsius irritationis investigare fatigissent, hac remota, morbum brevi sanassent, adhibitis remediosis euacuantibus magis rebellum factum, nec ullo modo subigendum, nisi demum natura ipsa stimulum istum occultum dimouet. Si quis in aliis morbis, in quibus materia quaedam nimia copia excernitur vel fecernitur, mo-

do

do juberet aegrotum excreta illico mittere, nec organi irritati rationem ullam haberet, vix sanac mentis videretur. Irrideretur certe, qui in catarrho sibi nihil aliud agendum esse censeret, quam nares fedulo mungere, faucesue tcreatu frequenti pituita liberare, siue in leni oculorum inflammatione lacrymas, e variis fontibus profusas, modo sollicite detergendas esse, vel in glandularum saliuallium irritatione, ne infecta saliuia in stomachum transeat, spuma tantum perpetuo ejicienda esse. Sed profecto non multo prudentius agere videtur medicus, qui in nimis copiosa bilis secretione sibi semper nihil aliud agendum esse opinatur, quam intestina his inquinamentis liberare. Nemo negabit, hanc biliomatam farraginem removeri oportere, quae facillime corrumpitur, et innumeris viis admiscentur sanguini. Istud quidem negotium unicum plerumque erit, dum hepatis irritatio sponte desit, aut lenior emeticorum vi fortiore tollitur. Attamen num semper ista irritatio e plurimis causis plane diversis et saepe pertinacissimis, e. g. scabie retropulsa, deriuanda semper sponte cessare potest? Num semper adeo lenis est, ut irritatione ab emesi orta subigatur? Hepar, sicuti reliqua organa secretoria, si stimulus per aliquod tempus perdurat, uberiori bilis secretioni affuescit, et quod antea modo stimulus vehementior efficere potuit, iam minimus quisque efficit. Nonnunquam vero tanta hujus organi laxitas aut debilitas adesse videtur, ut sine ullo pra-

te.

ternaturali stimulo, ab ipsa bile ad uberiorem secretionem incitetur. Sed, quamuis haec et alia argumenta hepatis irritationem saepe non negligendam esse probent, tamen mirum non est, eandem hucusque a plurimi medicis neglegi, maxime scilicet momentaneam, ut plurimum, nec artis auxilio indigentem, in primis vero propter signorum indolem.

Iam de his *signis* verba facturo mihi commode fieri posse videtur, si indeoles horum signorum magis explicatur, quae potiora videbantur, enumerantur, et ex recensitis ea feliguntur, quae in curanda febre maxime spectanda sunt. Pauca esse haec signa et maxime dubia, non mirandum est. Hepar enim, viscus paucis nervis munitum ideoque maxime insensile, eum locum in corpore humano tenet, ad quem sensibus aditus nullus patet. Praeterea materia secreta, alias organi secretorii stimulo quodam affecti optima testis, parum hic in conspectum venit, quare saepissime irritatio haec non sentitur. Si vero irritatio adeo increvit, ut totum corpus quasi concusserit, haec turbae saepius aequo iure a vicinae cuiusdam partis affectione deriuantur. Sed inter ea momenta, quae ad diagnosis huius irritationis aliquid faciunt, praecipue referenda videntur, 1. materiae secretae biliosae conditio, sive ad quantitatem, sive ad qualitatem species; 2. hypochondri dextri qualitas infolita, tensio, tumor, pressio, dolor; 3. laesio functionum,

inprimis naturalis et systematis neruosi, a) nausea, vomitatio, colica, diarrhoea, b) angor, dolor apitis, vertigo, oculorum affectiones; 4) caussae corpus irritantes manifestae, inter quas praecipue considerandae videntur: perspiratio suppressa, quae forte frequentissima est, nec plerumque diuturnam irritationem gignit: commotio animi vehementior, inprimis ira, quae prae ceteris debilitatem quandam hepatis excitare videtur: capitis laesio et con-
cussio; 5) remediorum euacuantium, inprimis emeticorum, inefficacia ad minuendam quantitatem bilis, et delendas affectiones febriles. Haec quidem inter momenta, quae irritationem hepatis probare possunt, priora maxime infida videntur, et in curatione instituenda parum prodest. Nam etiam si biliosa farago in ventriculo adhuc conspiciatur, tamen nimia ipsius secretio forteliam desit. Quod ad hypochondriorum affectiones attinet, saepe nullae conspiciuntur, quamvis hepar maximo irritamento afficiatur, nonnunquam vero, nullo irritamento conspicitur, vere adsunt, nec cutis aut musculorum intercostalium vel abdominalium et viscerum in abdome positorum nexus esse videtur fere ullus. Laesio functionum etiam a stimulo alio oriri potest, qui simul in corpore latitat, tamen capitis affectiones forsitan, dum febrem biliosam adesse constat, quodam nexu arctiori cum hepatis affectione iungi videntur, quas nec in hac specie cognoscenda non oportet negligi. Ultima vtraque dubia quidem, sed tamen ceteris certiora momenta, forte mai-

rem attentionem postulant, et plura ad curandam
febrem conferre possunt.

In hac curatione instituenda circa duo potissimum monienta medicus versabitur, in remouenda
bile in ventriculum profusa et in auferenda hepatis
irritatione, quo nouae effusionis occasio praescindatur. Illud officium, saepe vnicum, quando
irritamentum vitro diminuitur, plerumque hoc antecedit necesse est, quoniam, eo, praesertim emeticorum
vsi, peracto, plerumque simul hoc peragit,
attamen nonnunquam motus nimii organorum biliosorum prius mitigandi sunt, quam vomitorium satis tuto exhiberi possit. Dum vero
post emetici vel cathartici usum denuo non parvam bilis copiam in ventriculo esse constat, dum
affectiones capitis non leniuntur, nec febris ipsa
minuitur, dum tales caussam hepar irritasse nouimus, quae nondum remoueri potuit, aut quam
adhuc superstitem esse suspicamur, tum demum ad hepar magis animaduertendum et ipsius irritamentum
auferendum erit. Hoc quidem negotium, ut rite
peragatur, caussa verosimillima eruatur necesse est,
quae organa biliosa adhuc obsidet. Mirum mihi vide-
tur, medicum sere nullum, quantum noui, hac in febre
caue etiudam rationem habere, quamuis iure affir-
mare audeam, perpetuo emeticorum et purgantium
usi non paucos aegrotos nec tradi, quos, ratione irri-
tationis hepaticae habita, feruare licuisset. Si
ergo perspiratio praeciusa est, fomentum vel bal-

neum

neum tepidum egregie conducere mihi videtur, quodquidem remedium, nostra aetate nimis a medicis neglectum, non modo cutis spiracula spasmo constricta iterum referat, sed et nervos cutaneos irritando, et humores ad superficiem corporis alliciendo febris vehementiam placat. Similiter quaeque alia causa ea methodo remoueri debet, qua alias auferri solet, sed ad naturam febris ipsius adaptata. Si nimia irritabilitas aut laxitas iecinoris adesse videtur, quodque irritamentum, vel a medicamentis, vel a diaeta timendum, follicite arcatur. Postquam vero de irritatione hepatis durante certiores facti causam intuestigamus, nec deprehendimus tamen, remedia adhiberi oportebit, quibus spasmorum vim superari vel mitigari constat, iis selectis, quae febris indoles quam maxime admittit. Hic potissimum balnea tepida, vesicantia in febre mitiore et aegrotis minus sensibilibus, iniunctiones et cataplasma emollientia in regione hypochondriaca dextra applicata, et interne parua Ipecacuanhae vel tartari emetici dosis, rarius forte alia antispasmodica in usum vocari posse videntur, imo debere.

§. 7.

DE FEBRE BILIOSA HVMORALI.

Iis febris bibliosae formis, quae singulari attentione non indignae sunt, etiam accensenda vi-

detur ea, cuius grauissimum symptoma esse putant irritationem vasorum, post irritationem fere deletam intestinalem maxime conspicuam. Evidem diu neiciui, num haec forma febris biliosae singularem ipsius speciem constituere queat, nec ne, variis argumentis modo in hanc, modo in contrariam partem perductus. Rarius hanc induere formam febrem biliosam, sibi non propriam, experientia docebit quemlibet, cui non in mentem venit, medicos non parca manu remedia porrigeret, nec cunctatoris nomen ambire, dum agatur de cordibus quibuscumque remouendis. Nec semper, si, gastrico finito tumultu, irritatio perdurat, ipsius causa bilis sanguini admixta habenda erit, sed nonnunquam alia quaedam, sensuum ope non cognoscenda, febrem adhuc nutrit. Plerumque etiam haec febris conditio nullum periculum minari videtur, et facilime a natura ipsa in melius mutari, licet paullo tardius. Quae si consideramus, nullo iure haec febris biliosae forma singularis speciei titulo insignienda esse videtur, attamen ex altera parte ad mutandam hanc sententiam momenta quaedam non vilioris notae nos inuitant, quae non curare nefas est. Primum ipse morbi decursus hic spectandus erit, quem non curatus obseruasse, ideoque mancum et imperfetum opus peregisse putarer, si de origine morbi prima locutus, dum ipsius forma a solita maxime diuersa conspiciebatur exitum neglecturus essem, dum solita forma iterum in aliam transit. Hæc qui-

quidem ultima forma quum rationem medendi requirat a vulgari maxime discernendam, et ipsa probet eadem discernatur fas erit. Quamuis febris in istam formam mutata vitae vix insidietur, et plerumque nullis adhibitis remediis ultro cesset, tamen, eadem neglecta, soli naturae ferius malum superare contingit, cuius gratis conatibus artis auxilium incaute latum penitus saepe refragatur, et impedimento est. Evidem et auctoritate illustris RICHTERI magis in ea sententia firmatus sum, cui ipsa natura quodammodo fauere videbatur. Auctor ille hanc febris biliosae conditionem a reliquis distinguuit, in libro saepius citato, cuius in initio tantum ea se propositorum esse profitetur, et vere proponebit, quae, experientia edoctus propria, ad artem medicam rectius excercendam aliquid conferre posse arbitretur.

Ad signa praecipua, quae in cognoscenda hac febris biliosae specie non negligenda sunt, pertinere videntur 1) febris vis parum diminuta, remediis euacuantibus satis adhibitis, nec ullis fere sorribus biliosis in tubo intestinali amplius conspicuis, 2) signa bilis humoribus admixtae horumque naturae inde mutatae, a) color flauus conspicuus in tunica coniunctiva oculi et qualibet particula cutis subtiliore, iuxta alas narium et angulum oris, item inter dimotas rugas seniles, b) maculae vel pustulae cutis, erysipelas, peticulae, exanthema miliare, rel. 3) proclivitas singularis ad sudoris

et lotii excretionem huiusque color croceus. 4)
absentia reliquarum caussarum.

Quae quidem signa si obseruantur, ad naturae conamina decet artis auxilium rite applicare, humores apto potu, nec ingrato, nec parco diluere, admixtis resoluentibus mitioribus, aut remediis, quae vitium quoddam humorum adiunctum corrigerem possint, praecipue acido quodam vegetabili. Cutis rigidior balnei tepidi usu continuato emollienda erit, quo simul ipsis spiracula aperiuntur, et humores magis ad superficiem corporis alliciuntur, regimine diaphoretico haud neglecto, dum natura hac via materiam corpori infensam dimouere velle videatur. Remedia, quibus alias sudor excitatur vel promouetur, postquam febris paullo diminuta est, applicari debere existimo, at quae corpus gravius irritant, aegroti ratione habita, plane exula re. Si natura magis lotii excretionem eligere creditur, eam modo humores diluendo et apto regimine, non remediis, quae prae caeteris renes stimulare putantur, licebit adiuuare.

¶ 9.

DE FEBRE BILIOSA PVTRIDA.

Inter eas febris biliosae formas, quae propter singularem curam, quam postulant, a se inuicem distinguendae esse, et tanquam variae

riae huius febris species considerandae videntur, non infimum locum occupat ea, in qua praeter symptomata febri biliosae propria simul bilis putredine corrupta appetet, quae, quamvis, ab initio saltem, ab ea specie, quam antea gastricam nominaui, solo hoc symptomate discrepet, tamen ob summam, quam sananti iniungit cautionem et ob diuersam medendi rationem, iure separari potest et debet. Non inepte hanc speciem *putridam* vocari mihi persuadeo, licet maximus medicorum numerus, praecipue omnes, qui morbos quoslibet, quibus corpus humanum laborat, modo ab officio neruorum turbato et laesa sensitatem deriuandos esse censem, iam solum nomen horrescentes, longe aliter sentiant. In ipso corpore viuo sine dubio propter vim vitae prouidam vera putredo non deprehenditur, et febris, cuius symptomata sistema neruosum maxime affectum, et humores dissolutos produnt, ex peruersa de ipsis caussae opinione male putrida vocari solet, ex solidis symptomatibus rectius forsitan *neruosa colliquativa* nominanda. Ex his vero non efficitur, etiam febrem biliosam aequre absurde putridam vocari. Bilem enim in vase quodam asseruatam in loco calidore, nec aeris vi obnoxiam, citissime leuia signa putredinis edere, mox, sicuti plurimas alias partes animales, vere putrefactare, inter omnes constat; sed bilem reconditam in intestinorum canali, tanquam materiam excrementitiam, in quam vis vita-

Ils semper parum agere videtur, eadem languidiorre facta, minus putredine corrupti posse credemus? Nonne hic facilius putrefactio incipiet, quum ob ipsius naturam plerumque mutatam maxime ad quamlibet corruptionem inclinare debeat, et quum aestus febrilis, quo totum corpus uritur, adeoruptionem quamcunque excitandam et promouendam aptissimus sit? Accedit, quod alias in tractu intestinorum vis vitalis putredinis vim non semper arceat, quippe ingesta nonnunquam, quae alio excernuntur, putredinis signa manifesta ostendant. Nam ipse quidem odor et aliae qualitates sensibiles ab aliis rebus putredine dissolutis ista non differre testantur.

Antequam vero de diagnosis huius speciei febris biliosa agatur, oportet me differere de funesto quodam errore, qui, prob dolor! nondum in libris praestantissimorum medicorum, sive non in honorem artis et commodum miserorum hominum, neque castigatus est, neque emendatus, quoniam aliter de hac diagnosis male egisse sine dubio existimarer, et quoniam haec quaestio tanti esse videtur, ut si modo quempiam in hocce vitium haec scriptiuncula attentiores reddiderit, et ad istud scriptis emendandum paratum, me non perperam huic opusculo operam impendisse, et de multis hominibus bene meruisse gloriarer. Nullum scilicet discrimen in doctrina de febre biliosa putrida, pustulosa putrida et nervosa colliquatiua, vulgo san-

guinea

guinea putrida, inter tam cognatos morbos, factum esse memini, quod ad eorum variam indolem, accuratiorem que diagnosin et medendi rationem aliquid conferat. Morbos quidem istos, hominum generi praे reliquis inimicissimos, a summis medicis haud raro ita curari constat, ut remedia, quae antiseptica putantur et nominantur, promiscue aut omnia fere simul adhibeantur, vt agyrtas, non medicos cernere putares. Si quando symptomata cuique horum similium morborum propria accuratius explicata erunt, et ipsa cuiusque natura sane melius cognoscetur, decursus longe melius observabitur, iudicium verius de ipsis vi et exitu feneretur, et remedia singulis maxime accommodata retius eligentur. Adhuc vero medici, dum, coeci quasi ad curationem atrocissimi morbi se accingunt, ab omni parte pccant. Calorem mordacem inter notas præcipuas febris sanguineae putridae referunt, sed quo iure, nescio, quoniam equidem hanc calorem intolerabilem modo tunc obseruavi, quum febris biliosa præcesserat, nunquam vero post febrem pituitosam putridam antegressam, et quum natura morbi huius vix taliem calorem in ipsis decursu exspectari finit. Nunquam, certe rarissime, caussae febris sanguineae putridae ratio habetur vel remotae, vel proximae, quamvis talis disquisitio ad prognosin formandam quam plurimum conferre debeat, si forte ad curationem melius instituendam minus prodesset. In-

primis vero in febre sanguinea putrida, uti iam exemplo modo allato elucet, considerandum videtur, num febris biliosa, an pituitosa praegressa fuerit. Rarius enim febris ista ita derepente instat, ut gastrica irritatio antea nulla conspiciatur. In tali febre pituitosam infecuta magis sudor colliquatius et haemorrhagiae occurrere videntur, quam si febris biliosa anteiuuit. Eodem fere modo etiam remedia magis secundum febris variam indolem varia adhibenda erunt. In febre biliosa putrida acidorum omnium, praecipue vero vitrioli, exigua virtus videtur, nulla vero aut sane per exigua in febre pituitosa putrida, non contemnenda, at dubia in febre sanguinea putrida. Excitantium usus, in primis vini nobilioris et camphorae, plurimum, in febre pituitosa putrida efficere posse videtur, in sanguinea putrida vero dissolutionem humorum augere, in febre vero biliosa putrida non multum prodesse.

Sed missis his, signa febris biliosae putridae recensenda erunt, quoniam dintius iam, quam par sit, his quaestionibus me induluisse censeo, cuius tam delicti veniam et materiae grauitas adhuc sine dubio nimis indigestae, et cupidus in tam funestam et grauem negligentiam maiorem forte attentionem excitandi conciliabunt. Omnia vero signa, quae huc spectant, quum haec species fere gastricae tantum indolis esse videatur, potissimum ex hoc fonte petenda erunt. Commemoratu digniora for-

forte sunt; 1) foetor oris putridus, 2) sapor putridus; 3) lingua materia nigrescente et firmiter adhaerente obducta, vel tenuiori et quasi pultacea illita; 4) colica nonnunquam cum abdominis tumor coniuncta; 5) excretio alui foetidissima, nec raro involuntaria.

In hac specie febris biliosae sananda medici erit vires sollicite sustentare, biliosamque colluuiem intestinorum corrigere potius, quam demere. Emeticorum usum, si morbus forte desiderat, summam cautionem requirere confido, ne, effectu expectatio irrito, alias ipsis saepe funestissimo omne mouetur. Itaque tale remedium eligatur, quod rarius solita vi priuetur, et emplastro vesicatorio parti epigastricae abdominis applicato, et irritamentis aliis quibuscumque in subsidium vocatis tristis ille euenter arceatur. Aluum catharticis remediis mouere longe rarius adhuc consultum erit, quoniam magis virium prostratio, quam materiae biliosae irritationem et resorptio vitae discrimen adducit. Attamen nec alui obstructio per aliquod tempus sine damno insequente durabit, sed quum sentina illam cito auferenda sit, quam virium conditio permittat, remediis solitis aluinam excretionem modicam medicus restituat, quam nimis frequentem factam, et virium diminutionis grauioris causam temperet. Interim cordes intestinales in corruptiorem proniores omni studio corrugandae sunt, quod quidem optime acido vitrioli diluto cum syrupo que-

quodam commixto, vel aceti vini ope perficiatur. Nec omittuntur ea, quibus vires diminutae augentur, inter quae tamen corticem peruvianum arnicae radici anteponerem, fere deletae vero aptioribus remediis suscitentur.

§. 9.

DE FEBRE BILIOSA LARVATA.

Hoc nomine febris insigniri solet, cuius gravissimum symptomata farrago biliosa habenda est, sed tamen adeo obscura, vel irritationem adeo anomalam ciens, ut difficulter dignosci queat. Ex quo tempore artis medicae eximium decus, STOLZIVS, meliorem febri biliosae medendi rationem docuit, plurimosque morbos et febiles, et non febiles a bile profici sci exemplo pariter et scriptis docuit, qui longe alius generis videbantur, discipuli viri celeberrimi aliquique complures ipsius castra secuti, in rem nouam attentiores facti, mirum effectum plurimis verbis praedicabant, quem post cathartica, in primis vero emetica, quae fere sine ullis naturae indiciis exhibita magnam bilis copiam projiciebant, insequi viderant. Sed, salua reuentia, quae summo viro debetur, et quamvis innumerae fere obseruationes saepe absconditam biliosae febris naturam feliciter detectam fuisse testentur, tamen dubiis quibusdam vexor, quae hanc methodum paullo restringendam, nec tantis laudibus effendam

rendam esse admonent, quae hic afferre liceat. Primum persuasus sum, magnam copiam bilis in ventriculo latere posse, quae cum febre, quo simul corpus afficitur, nullo nexus iuncta, neque ipsius causa, neque effectus sit, et nisi quaedam commotio organorum biliosorum adest, aut stomachus ab hac insoluta biliosa mole irritatur, tantos systematis neruosi tumultus, quales febriles sunt, a materia tam inertivix proficiunt posse arbitror. Deinde plurimae febres causis adeo absconditis oriuntur, ut sollerti inuestigatione easdem eruere non liccat, quare invisibles et vulgares perperam inquirens medicus non statim ab exploratione defistat, quod nisi saepe factum esset, tandem irritamentum apparuisset, maioris momenti, quam quae bilis coagulo attributum est. Postea facile falluntur, qui, quum post vomitorium propinatum magnam bilis copiam eiici et febrem diminui viderint, hanc bilis euacuationem causam esse febris diminutae contendunt, et a philosophis propter tam audax iudicium merito irriderentur. Tum male egisse puto hos doctrinae de febre biliosa lauata laudatores, dum oculos modo in vim emeticum minorem conuerterunt, non vero animum in maiorem et subtiliorem, qua systema neruosum afficitur, et humores magis a partibus internis ad externas protruduntur. Quare sine dubio factum est, ut febris diminutio a novo stimulo neruorum vel a transpiratione promota pendens bili simul profusae saepe temere fuerit adscripta. Praeterea nec bilem a

cohaesione et colore naturali diuersam sempér
in ventriculo antea latuisse censem, sed prioribus
vomendi conatibus in ventriculum posterioribus ex ore projectam esse. Nam qualitates
istae praeter naturales non satis probant, bilio-
lem iam ante aliquod tempus in ventriculo
latuisse, quum post peruersam hepatis secretio-
nem antecedentem materia prava biliosa in
vesicula fellea servari et magis inspissari queat. Po-
stremo et hoc modo morbi non pauci vi quasi
coacti esse videntur in eam formam transire, quam
medicus naturae conamintum et mandatorum malus
interpres ei propriam esse sibi fixerat.

Notae, quibus hanc absconditam febris biliosae
naturam, declarari putant, fere sequentes sunt: 1) in-
doles morborum epidemica vel endemica; 2) re-
missio symptomatum febrilium manifesta; 3) pulsus
inflammatario mitior, melior neruoso, 4) caloris
vis moderationis, 5) urina crocea, 6) oculorum
quasi lacrymis suffusorum nitor, 7) color ex flauo
virescens ad latus narum et angulum oris, 8) la-
bii inferoris tremor in locuturis, 9) lingua tremu-
la, dum exferitur.

De curatione, dum haec signa apparent, insti-
tuenda modo notandum erit, emetica praemissa
plerumque resoluentibus non paucis, maximam
vim exferere, a qua magis febrem minui mihi
persuadeo, quam a copia bilis minuta.

Sed,

Sed, quum ex consilio mihi proposito et pro
huius libellū limitibus de febris biliosae notione et
variis speciebus satis differuisse mihi videar, nimis
forte lectoribus, liceat ad alteram dissertationis par-
lem transfire.

SECTIO II.

DE REMEDIIS IN FEBRĒ BILIOSA VSITATISSIMIS.

§. 10.

DE RESOLVENTIVM NECESSITATE.

Bilem, in ventriculo et intestinis retentam,
donec euacuare possimus, foluendam esse scriptores
fere omnes praecipiunt, qui hanc materiam pertrac-
tarunt, attamen nihilominus remedia resoluentia
parum necessaria esse censeo. Ipsa natura bilis sa-
tis superque docet, eam non facile coagulari, nec
ventriculo, nec intestinis adhaerere posse. Nam
quomodo liquor iste, qui potissimum ad faciliorem
chyli secretionem destinatus esse creditur, et idcirco
cum nutrimentis ventriculo ingestis intime commis-
ceri debet, cito in glutinis naturam poterit abire?
Per longum tempus in vesicula sibi destinata bilis
afferuari potest, quo quidem in loco et particulae
aquosae plurimae sorberi et auferri videntur, et

tamen bili tenuissima canali emissae maxima vis
inest in praeparando et secernendo chylo. Prae-
terea solubilis potius materia dicenda erit, quam
ad coagulum ineundum prona, quae lotium tingere,
et via, qua in intestina ducitur, praecclusa, vascula
minutissima implere, in quae sanguis ipse pene-
trare nequit, imo albidum colorem oculi in flanum
mutare potest. Quae dum affirmare audeo, probe
memini, bilem in vesicula, in qua secreta afferua-
tur, nonnunquam in maxima concrementa coire,
ut in lapidis formam et indolem mutatam esse cre-
deres, imo in ipso ventriculo non raro in massam
glutinosam concrescere. Ex hisce bilis mutationi-
bus vero nullo modo colligere licet, ei naturam
esse glutinosam. Plurimi corporis liquores sae-
penumero breui tempore adeo immutantur, ut
praeternaturalis conditio a solita quam maxime
abhorreat, nec huius indoles ex istius qualitate co-
gnosci queat. In febre vero biliosa maiorem faci-
litatem in molem spissiorem coeundi bili tribuendam
esse nec ratio vlla docet, nec experientia. Nam
plerumque haud exiguum temporis spatium requiri
videtur, donec fellis natura adeo immutari possit
et in eam conuerti, quae officio grauissimo ei
destinato maxime repugnat. At in biliosa fe-
bre, bilis vt plurimum breui post antegressam
hepatis irritationem in stomachum profusa va-
rio modo in conspectum venit, nec inter febres
secusus, quibus intestinorum irritabilitas plerum-
que

que augetur, diu hoc in loco morabitur. Non-nunquam bilem spissiorem et viscidiorem vomitu rejici cernimus, saepissime vero, praesertim in biliosa febre genuina, tenuorem et bilis coagulum, si quod in hac febre excernitur, iam ante ipsum impetum in ventriculo adfuisse vero simillimum est, nec cum febre coniunctum, sed modo fortuito accessisse. In hanc sententiam plurimos dudum abiisse, et resolventia remedia in febre biliosa curanda rarius adhibuisse autumo, si naturam bilis et febris biliosae magis considerassent, atque hanc curatius a pituitosa distinxissent, si in praecedentem hepatis irritationem magis animum conuertissent, et discrimen symptomatum cum colluvie biliosa recenti vel sentina inueterata coniunctorum, minus neglexissent.

§. II.

DE DAMNIS IN FEBRE BILIOSA AB INCÄVTO RESOLVENTIVM VSV TIMENDIS.

Sicuti ergo commoda pauca vel dubia a resolventibus medicamentis hac in febre adhibitis proficiscuntur, ita e contrario damna certa et maxima inde timenda iis uti disuadent, nisi necessitas quaedam urgeat.

Potissimum hic considerandum est, bilem, si ista remedia propinrantur, diutius, quam fas est, in intestinis morari, et idcirco magnam ipsum partem resorptam in sanguinem transfire, et febris vim

D et

et durationem augere. Alia quidem occasione medici anxie resorptionem sordium intestinalium timent, atque omni studio auertere tentant, saltem non promouere, licet pauca vel nulla fere sordium vestigia compareant, quae si vere adsunt, propter viscidiā indolem et particulis acrioribus destitutae non multum timoris iure excitare possunt; sed in hac febre farragionem biliosam fere semper ab antegressa hepatis irritatione pendentem, nulla ipsius originis habita ratione, ita tractant, ac si ex materia intestinalis affixa non solum bilis intestinalis copia, sed et ipsa febris originem ducat. Quantum vero damnum hinc miseris aegrotis inferatur, elicit ex subtilitate et solubilitate particularum biliosarum, ex inde oriunda facilitate, qua bilis ab maximis et innumeris ostiis vasorum intestinalium sorbentium recepta sanguini redditur.

Sed aequa tristis, imo tristior effectus alius nonnunquam insequitur incautum istorum remediorum usum, scilicet procliuitas sordium ad alvinas excretiones, quae vomitorii vim longe praestantiorē non modo irritam reddit, sed et vires quam maxime infringit, adeo, ut aegrotus nonnunquam solo hoc emeticorum funesto effectu animam efflare cogatur.

Sed ut istud remediorum genus resorptionem et procliuitatem ad alvinas excretiones pessimam vel ciet, vel auget, ita simul bilem, quam loco incongruo nimis morari cogit, malo nomine immutat. Nam quum **materia ista in corruptionem**

pro-

prona, et ob virium languorem in eam proclivior diu in loco calidore detineatur, in quo seruari eam natura noluit, et ubi corruptio longe facilius locum habet, quam in qualibet alia corporis parte, iam ex hoc efficitur, damnum saepe grauissimum et irreparabile hoc modo a medico, salutem ferre cupiente, procreari.

Nec minus ipse tubus intestinalis pessime afficitur ex immoderato aut diuturno resoluentium usu, quem non, sicuti vulgo sit, tanquam vilissimum vas ad materiam excrementitiam asseruandam, considerare fas est, e quo prava quaevis materia penitus delenda sit. Medicos vero vix aliter sentire iudico, qui magis vanis somniis, quam naturae consiliis obedientes, materiam saepe innoxiam perniciosissimi veneni instar tractant, et in febre biliosa latentem faburram penitus dissoluere et eluere nituntur. Sed muci intestinalis defectus, organi immensae superficie nimis aucta, irritabilitas et laxitas, seru immodicus affluxus, humorum digestioni inferuientium prava quantitas et qualitas, nexus inter intestina et alias partes, praecipue cutem, intercedentis vitium memorabile resoluentium usum, praefertim per aliquod tempus continuatum, insequi solet.

§ 12.

DE MOMENTIS IN RESOLVENTIVM VSV SPECTAND S.

Interim grauissima ista mala neutquam nos ab usu resoluentium deterreant, sed instigent pos-

D 2

tius ad momenta, quae in febre biliosa eadem adhiberi iubent, curatius exponenda. Maxime haec remedia conuenire videntur 1) si propter aestum febrilem et inde ortam siccitatem et humores ventriculi et intestinorum nimis resorptos, paucissimos vero iterum exhalatos biliosa materia nimis condensatur vel lateribus intestinorum affigitur. Hinc quando plura signa, in primis conditio linguae, denotant lenia resoluentia, non male exhibentur, sed praeципue fordes diluendo optime dissoluuntur, cui quidem rei larga quantitas grati et apti potus sensim hausta potissimum inserviet. Aptissimum hoc remediorum genus videtur, 2) si bilem spissiorem et in coagulum concretam adesse suspicamur, 3) si pituitae copia cum bile coniuncta apparet. Sed de his utrisque causibus potissimum ad nexus respiciendum erit, qui inter haec symptomata et ipsam febrem intercedit, et quo magis illa fortuito modo accessisse putantur, eo minus usum resoluentium postulant.

Sed, ut momenta ista indicant, quando resoluentia in febre biliosa adhibenda sint, ita non minus alia quaedam affiri fas est, quae doceant, qualia et quam diu applicanda sint. Ad haec in primis pertinet videntur, 1) fons natura, proclivitas ad corruptionem, turgescentiae gradus et differentia; 2) conditio aegroti, praesertim conditio ventriculi et intestinorum, sensilitas, laxitas, dispositio ad diarrhoeam vel ad alui obstructionem; 3) morbi indoles, vehementia, duratio,

tio, decursus, symptomata fortuito adiuncta vel in posterum expectanda, 4) ratio medendi, effectus resoluentium, praesens vel olim obseruatus, remedia postea adhibenda; 5) externa, constitutio epidemica, rel. Quae quidem momenta, si quis medicus non negligit, remediis non facile abutetur, quorum abusus saepe adeo perniciosus est, praecipue in febre biliosa, ut quemlibet salutarem artem exercentem et de hominibus bene mereri, cupienti summam cautionem iniungere debeat.

§. 13.

DE PRAECIPVIS EMETICORVM EFFECTIBVS.

Emeticorum effectum, qui sensus ferit, evacuationem scilicet, unicum medici non pauci existimare videntur in febre biliosa subigenda, quem alvinae excretioni potissimum ideo anteponunt, quod hoc modo contenta ventriculi citissime removеantur. Evidem vero emeticorum virtutem intensibilem anteponerem manifestae, topicae universalem, qua in totum sistema nervosum potentissime agunt. Argumenta, quibus haec sententia probetur, praebet iam arctissimum vinculum, quod inter ventriculum et cerebrum esse observatur, nec minus singularis ipse vomitorii effectus, a quo saepe nihil e ventriculo reicitur, et nihilominus ipsa febris maxime diminuitur vel adeo dispellitur. Praeterea vomitum in morbis, in quibus neruorum vis et actio praecipue laesae esse videntur, maxime

conducere, scriptores plurimi perhibent, et illustris RICHTER ingenue profitetur, se non remedium efficacius in avertendo vel infringendo epilepsiae periodicae reditu nosse, quam vomitorium breui ante ipsum impetum propinatum. Insignem etiam vim emeticis esse assultus febrilis diminuendi vel fugandi, febris intermittens docet, quae, dum medici ex HAE-NII exemplo vomitoria cane peius et angue fugiebant, per longissimum tempus durabat, et etiam nostra aetate, ipsius natura et medendi ratione melius cognita, serius superatur, si modo sordes purgantium ope eluuntur. Constat etiam, post vomitorium hac in febre, natura non renuente, breui ante frigus exhibitum, huius et aliorum symptomatum vehementiam admodum decrescere, vel prorsus coiberti. Equidem etiam, mercenarium robustiorum febre intermittente pituitosa quartana, et quidem grauissima laborante, modica vomitoria exhibita vomendi nimis cupidum, adeo ventriculum irritasse vidi, ut nisus vomendi per dies aliquot continuaretur, et demulcentia et antispasmodica quaeque initio reiicerentur. Vir iste, quem amara fastidiret, et solito tempore assultum febrem non redire obseruaret, robورantibus uti recusavit, et solo nisu vomendi sanatus est, nec, quantum noui, unquam postea febris vestigia apparuerunt.

§. 14.

DE EMETICORUM INDICATIONE.

De emeticorum vi neruina ad ea momenta transire licebit, quae emeticum in febre biliosa exhiberi iubent. Hic modo signa sordium et quidem vomitum

mituritionem iam excitantium in febre biliosa spectanda esse plurimi scriptores admonent. Attamen, quod pace eorum fiat, equidem potius contendere, etiam sine his turgescentiae signis emeticum ad fordes evacuandas porrigi posse, nonnunquam quoque, fed rarius ex alia ratione. Simil atque iure quodam suspicari licet, bilem recens secretam in ventriculo latere, iam hoc ipso, nisi siccitas fauci- um et linguae adfuerit, statim vomitorium postula- ri videtur. Bilem modo secretam, licet tenuorem esse antea probare annis sim, stomacho magna co- pia inesse poterit, nec fauces tamen, neque intesti- na irritabit. Nam saepe materia biliosa vomitur, ob spissitudinem et alias qualitates, non recens ha- benda, nec homines ulla signa, quae nimia bilis in ventriculum effusa edere folet, se sensisse affirmant. Nec minus in febre haec signa abesse posse, ipse ob- seruauit.

J. LEISTER mercenarius XXXI. annos natus, febre, ut mihi quidem videbatur, catarrhalis labo- rans, cum paucissimis bilis et plurimis signis pitui- tae coniuncta. Resolumente congruo adhibito, equi- dem vomitorii porrigendi cupidus in signa quae- que sordium sursum vergentium potiora diligenter inquisivus, nec ultra inueni, et ad aluum vergentium paucissima. Itaque, quum lingua humidior motas fordes ostenderet, sine naturae monitu vomitum ciere nolu*ī*, pulueremque radicis ialappae cum unico tartari emeticici grano commixtum obtuli. Po- stridie laetabundus aeger narravit, se magnam pi- tuitae et bilis copiam vomitu reiecisse, et iam in- signe leuamen sentire.

Sicut ergo bilis, in stomacho contenta, quae nondum mota videtur, siue potius nec fauces, nec

intestina fortius irritare, quam satis tenuem esse liquet, statim vomitorii ope remouenda erit, ita nec indicia fardium biliosarum ad aluum tendentium ab istius usu nos deterreant. Nam si leniora sunt, nec per aliquod tempus perdurant, vix tantam fardium copiam e ventriculo et intestino duodeno penitus iam elutam esse, ex mea quidem sententia denotabunt, nec, adhibita quadam cautione, in intestina prudent. In primis vero emetica vel sine fardium turgentium signis, vel minus gratis applicari haec in febre suadent systema neruotum hoc vel alio modo grauius affectum, et perspiratio cutanea praeclusa. Quo citius enim remedia ista efficacissima in casu modo recensito in usum vocari possunt, eo facilius febrem ipsam minuent, neruorumque turbas vell languorem tollent, siue exhalatione cutanea restituta morbi somitem maximum vel caussam ipsam auferent.

§. 15.

DE EMETICORVM CONTRAINDICATIO-
NIBVS.

Quamuis praeclarissimi medici nostra memoria statuant, emeticum, natura duce, exhibendum in febre biliosa paucissimis rebus prohiberi, equidem hanc sententiam non plane meam facere poteram. Numerum eorum momentorum, quibus quodque vomitorium vetari medici olim opinabantur, maxime diminuendum esse non repugnabam, tamen quaedam superesse videbantur, quae saltē in febre mitiore, nisi ubiuis, emeticorum usum neutiquam permitterent. Experientia iam hanc sententiam mutandam esse non dubiis monitis me docuit, qua ductus equidem febrem plerumque periculosiorem esse iudico, quam

quam effectus, quos emeticum in quibusdam hominibus exseruisse traditur. Praecipue vero duplice occasione in hac sententia confirmatus sum, quum semel emeticum non temere neglectum summum vitae discrimen accelerare vidissem, alio vero tempore vomitum maxime timendum pro damno leuamen afferre.

A. GRAEFENSTEIN, vir nondum XXX. annos natus, subtiliore corporis structura et sanguinis abundans post subitum frigus febre biliosa correptus est. Emeticum, quod iam conducere videbatur, recusauit, quoniam haemoptysin biennium ante toleratam et herniam nullo retinaculo coercitam iure suo timeret. Quae simulatque audiui, modica venae-sectione instituta, et hernia vinculo quodam retenta, periculum quodue arceri posse affirmans, timorem discutere tentauit, sed perperam. Eligere oportuit me inuitum pro vomitorio remedium album laxans, praesertim cum febris mitior et aegrotus haud debilis, vi ipsius irritata, in posterum emeticum forte adhuc locum esse, sinerent sperare. Quod timueram, etenit, alii excretio bilis copiam ad corruptionem proniorem factam, et adhuc, sed leuius fauces laceffentem, non diminuerat. Statim ipecacuanhae radix oblata est, nec recusata, venae-sectione vero propter corruptionis bilis manifesta signa omissa. Emeticum tunc vi solita destitutum album mouit, tanta debilitate insequente, ut omnes de ipsius salute desperarent. Febris enim in putridum conuertebar, quam tandem, licet ferius, sola natura deuicit, artis quodue efficacius auxilium consulto ablatum re-nuens, leuiore modo quodammodo parum adiuta.

E. M. GRAEFIN ancilla annos XXIV nata, corpore robustiore et sanguinis pleno, sanguinem iam ante

biennium vomuerat, et denuo vomere cooperat. Caussa praedisponebatur huius mali ipsa sanguinis copia videbatur, quae singulari quodam irritamento ad ventriculum aduehebatur. Tunc enim maximo volumine, summa duritie et eleuatione notabilis a parte hypochondriaca dextra abdominis ad sinistrum vergebat, scrobiculum cordis oblique transiens, qui, num ex hepatis obstructione ortus fuerit, neene, non satis liquet. Harum caussarum ratione habita, instituta curatio malum nunquam prouersabigendum, pro tempore tamen consopiebat. Post rixas muliebris bilis indicia in conspectum venerant, cum motibus quibusdam febribus coniuncta. Hanc, emeticum horrefcens, per aliquot dies solis catharticis remediis dimouere studui, at incassum. Forte potionem salinam, cui tincturae rhei vncia unica admixta erat, propinans solitos vomendi conatus sensit, sed pro sanguine bilem multam vomuit, conatu ter repetito, nec malo ullo, magno vero leuamine insequente. Paucos post dies, altercatione iterata, et malum re-cruduit, quod iam, natura duce, paucis ipecacuanhae granis vomitu caute concitato, neque feliciter, ut prius, auferebatur. Sed his allatis exemplis, nimiam pauorem mittendum esse, neutiquam in temerariam audaciam mutandum, medicum iuberi arbitror. Per necessarium fine dubio semper erit, officium in naturam rerum, quae emesin institui disuadeant, in indolem et vehementiam febris et in ipsius aegroti conditionem quam diligentissime inquirere ante, quam anceps remedium hoc vel eligatur, vel damnetur.

§. 16.

DE EMETICORVM EFFECTV PROMENDO.

Non perinde esse, num emetica vomitum ci-
vant, an ad aleum ruant, iam ex iis, quae antea
dicta sunt, satis superque elucet. Plurimi scripto-
res exempla perhibent, e quibus patet, irritum vo-
mitiorum, praecipue in febre biliosa, mortem infe-
cutam fuisse, et gravissima mala inde nasci in ex-
cercenda arte medici fere quotidie experiuntur.
Sed quum tanta calamitas, tantaeque querelae ab
hoc tristissimo euentu excitentur, magnus (puto)
erit numerus medicorum, qui tam graui malo litteris
mederi tentauerint, magnusque numerus reme-
diorum, quae ei maximo cum fructu opponantur.
Res, proh dolor! non ita se habet. Plurimi que-
rantur, neque ullus est, qui desperatae rei scilicet
opem ferre audeat. Ipfiae duo iuuenes misere perire
vidi, a natura ad vitam longiorem destinatos, qui-
bus forte saeva febris peppercisset, quibusque reme-
dia ista non sine vomititionis indiciis a me oblata
fuerunt, vidi virum strenuum, patrem prouidum,
quatuor infantum unicum subsidium, hoc modo iam
peritum, quem praeter spem meam seruare mihi
concessum est, vidi maritum iuuenem fere coniu-
gi amantissimae eruptum. Quae, cum animi summa
commotione vidisse, admodum dolui, medicos in tantum infortunium modo oculos, nec
animum aduertisse, nec de hoc minuendo cogitasse.
Utinam sperare licet, fore, ut iudex quidam in pa-
gellis litterariis criticis hac scriptiuncula breui peri-
tura forte admonetur, vt hanc calamitatem
publice debitam attentionem excitaret, et neque
piam, neque sapientem inertiam alta voce in ore
paret. Tunc tali euentu ter quaterque beatus hoc
opus.

opusculum primus obliuioni tradam, quo magis
me profuisse putabo, quam si librum scribendi ar-
ce volumine huic plane contrarium exarasse.

Iam si ea ipsa consideramus, quae in tam an-
cipiti casu, in quo vita maxime pericitatur, adhi-
benda videntur, paucissima esse confidendum est.
Plerumque ipecacuanhae radicem pro tartaro eme-
ticu[m] eligendum, cum oxymelle scuillitico commis-
cendam, et emplastrum vesicatorium parti epiga-
stricae abdominis imponendum esse scriptores mo-
nent. Sed equidem saepius et ipecacuanhae pulue-
rem cum oxymelle squillitico adeo comixtam vi
solita destitui, et laxantis vim exferere vidi. Nun-
quam vero hanc rem ita miratus sum, quem
vix aegrotum vocasse, hoc euuenire vidisse.

Ne vero equidem cum reliquis miseriam sum-
mam ab irrita vomitorii vi saepe oriundam, et me-
delae inopiam uestus esse videar, sed et pro vi-
ribus viam munire, qua miseris succurratur, peri-
culum certe facere mihi licebit hac de re meliora
tradendi, quamvis hoc momentum non tironis in-
genium et experientiam, sed veteranorum medi-
corum et artis principum coniunctum studium re-
quirat.

Ante omnia caussae variae eruendae sunt,
quae vomitorii effectum irritum reddant. Pri-
mum ipsum vomitorium non iusta quantitate aut
qualitate, qua ad stimulum sufficientem excitandum
opus est, exhibitum, in caussa esse videtur. Sic
e. g. tartarus emeticus nimis parva dosi vel nimis
dilutis, vel non optima methodo praeparatus, ra-
dix ipecacuanhae ante longum tempus in puluerem
redacta, vel nimis crassa (quoniam praeципue cor-
tici huius radici maximam vim inesse referunt,
vel

vel forsan ipsa forma fluida emeticorum ad eorum effectum frustrandum multum conlerre possunt. Deinde conditio corporis aegroti hic neutiquam negligi debet, et notatu digna videntur. 1) Singularis proclivitas intestinorum ad aluin's excretiones, quae motum antiperistalticum exitari non sinit, 2) laxitas pylori, propter quam tam exigua moles emeticorum, in primis vero fluida quaeque ad intestina rapiuntur, 3) irritabilitas ventriculi exigua, quae potissimum pendet a copia pituitae, qua latera i' suis obducuntur, a maiorum fibrarum muscularium rigiditate, a tunicis internis crassioribus, et ab insensibilitate systematis nervosi, 4) oesophagi et fauci vitium, 5) contentorum, (e.g. non satis dilutorum.) natura et copia. Denique etiam in rebus externis aut fortuitis caussa ponenda esse videtur, inter quas regimen aegroti nominasse sufficiat.

Quum ergo ex his caussis eae, quae potissimum in febre biliosa vomitorium effectu priuent et destituant, hic eligendae et considerandae sint, haec quidem attentione dignae erunt: 1) singularis dispositio ad aluinas excretiones, 2) laxitas pylori, 3) irritabilitas ventriculi exigua, praesertim ea, quae ab insensibilitate systematis nervosi proficitur, 4) contenta propter nimiam siccitatem corporis nimis lateribus ventriculi affixa. Sed ne limites huius libelli nimis extendantur, quum nulla alia causa aequa grauis sit, quam exigua irritabilitas ventriculi, ab insensibilitate profecta, quum que in alia aut parum agere possimus, aut brui dignoscamus, quid nobis contra istas agendum sit, in ea modo persistamus, breuiter adjunctis quibusdam, quae et in alio casu ex parte conducent. **Hic omni modo ista insensibilitas minuenda, et vomito.**

torium irritandi vi augendum erit. Lectis ergo medicamentis, apta quantitate et forma propinatis, super accedere debet potus non solum ingratius, sed et vi ventriculum irritandi praeditus, lenis faucis irritatio, titillatione, tussitatione ope nicotianae fumi inconsueti instituenda, irritatio ferobliculi cordis peracta, frictione, ipsa electrica leni commotione, emplastro vesicatorio, cuius tamen effectus tardior mihi videtur, quam ut hic, ubi plerumque periculum in mora erit, commode applicari possit, cuiusque loco rubefacientia vel alia fortiora irritamenta in usum vocanda sunt. Praeterea frictio corporis totius cum liquore quodam acriore instituta, sternutatio frequens, varii visus vel auditus stimuli et alia quaeque non omittenda esse censeo, quibus neruorum vis refocilletur atque animetur. De his subsidiis in tam periculoso statu forendis forsan non pro rei dignitate, sed pro ambitu satis locuto mihi liceat modo addere, iam ante emeticum sumtum complures stimulos recensitos iam necessario admouendos atque postea per tempus sat longum continuandos esse.

§. 17.

MOMENTA QVAEDAM DE VSV. LAXANTIVM.


Pauca restant, quae de ipsis remediis, vel de ratione, qua adhibentur, si ad febrem biliosam spectas, proferam. His e remediis salina maxime in febre biliosa, ut in omni reliqua, in vnu sunt, quae quum ex altera parte egregie prodelle putentur, ex altera grauissimum damnum inferunt, ad quod

quod medicos complures non satis animum conuer-
tisse obseruaui. Vir quidem insignis iis vulgo ad-
fribit astum febrilem diuinendi, sed maxime
forte eam ob caussam, quod salia, dum dissoluun-
tur, frigus maius excitent, quam ante sentiebatur.
Sed iam dissoluta corpori humano immittuntur, et
si stomacho soluerentur, hac virtute parum ad ae-
stum temperandum a febre ortum valerent. Sed
vero simillimum est, ea humoribus dissoluendis et
partibus solidis relaxandis caloris vim aliquantum
moderari, quare ab diu adhibitis tubum intestina-
lem admodum relaxari, et vires simul diminui me-
dicus neutiquam obliuiscatur. Itaque in leuiore fe-
bre remedia amara iis non male connecti, sed ea,
quae quam minime corpus irritent, aut tincturam
rhei aquosam et recentem simul commode in usum
vocari posse et debere mihi persuadeo.

Sed ratio vulgaris remedia ista applicandi mihi
non minus arridet, quam ipsorum delectus. Iun-
guntur nonnunquam salia cathartica cum salino
emetico, quam mixtionem, vt plurimum vim ni-
mis vehementer exferere, nec satis dirigi posse
confido, et citiorem sordium biliosarum expulso-
nem cum tanta virium iactura perfici, vt plerum-
que hoc negotium, tanquam nimis temerarium et
tumultuarium, nec a natura iniunctum, iure mittere
queamus. Sola etiam remedia cathartica vix ita
applicanda erunt, quam vulgo fit, vt noua bilis
exigua quantitate conspicua, semper validum quod-
dam laxans, saepe modo nomine lene, statim ad eam
expellendam imbibatur. Etenim post aluum liqui-
dam, praesertim post maiorem irritationem, obstru-
ctio modo leuior, modo grauior inequiffolet, quam
medicus haud semper enematum ope minuere pot-
est.

est. Quare, nisi magnam bilis copiam auguramur,
magis consultum erit alui excretionem ita dirigere,
ut aliquoties per diem pro re nata rarius aut sae-
pius intestinorum contentia deponantur, - quo qui-
dem modo plerumque non minor fardium copia
elicitur, et viribus et intestinis mire parcitur.

Quum vero instituti ratio plura addi non po-
stulet, praescripti huiusce libelli limites vetent, fi-
nem iam opusculo imponam.



ramur,
rigere,
ut sae-
uo qui-
copia
tur.
ion po-
ent fi-

TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

64
est Q
magis
vt alic
pius i
dem r
elicitu
stulet,
nem i